


Rozprawy

o panowaniu Jana Kazimierza
króla polskiego

odnoszące się

Od Bartynowsk. za 5 złk.

Carolus Gustavus 17 r) S. R. M. Sueciae binae literae, priores ad S. R. M. Christ. et posteriores ad Gen. Ordines foed. Belgii, contra causas expeditionis in Zelandiam contra reg. Daniae. b. m. i r. (k. n. l. 4)

18 s) Resurrectio Poloniae auxilio aquilae. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

Paulli Jacob Henrik 19 t) Epistola amici ad amicum de causis renascentium dissidiorum Sueco-Danicorum. Hamburgi 1658. (str. 10)

20 u) Brevis discussio querelarum, quae per regis christ. legatos et internuntios contra augustiss. Imp. Ferdinandum III. propositae sunt. b. m. 1657. (str. 20)

Frischmann Johann 21 v) Labores electorii sive solennia electionis et consecrationis. b. m. 1658. (str. 30)

22 y) S. R. M. Sueciae commissariorum responsum ad literas legatorum electoralium Brandeburgicorum. b. m. 1659. (k. n. l. 24)

Frischmann Johann 23. z) Censura censurae in collegium electorale amicae. b. m. 1658. (str. 44)

24 aa) Biorenklou Math., Memoriale ad eminentiss. sereniss. S. R. I. electores. b. m. 1658. (str. 32)

25 bb) Peyrer Isa. Epistola ad Philotimum, qua exponit rationes propter quas ejuraverit sectam Calvini et librum de Praeadamitis quem ediderat. Francofurti 1658. (str. 36)

26 cc) Retz de Joan. Franc. Paul. de Gondi Omnibus episcopis, presbyteris et universis filiis ecclesiae. b. m. 1660. (str. 28)

Frischmann Johann 27 dd) Animorum in Europa et vicina Asia motus de Suecici belli motu in Polonia. Upsaliae 1656. (str. 75)

28 ee) Gabriis Luc. de. Injustitia armorum Suecicorum in Polonos responsione apologetica ad epist. Cyriaci Thrasymachi ad Andr. Nicanorem data, nec non ad brevem et preliminarem enumerationem causarum, ob quas Carolus Gustavus R. Suec. coactus est Reg. Pol. bello adoriri. b. m. 1657. (str. 60)

29. ff) Elogium funebre Ser. Caroli Gustavi R. Suec. Gothenburgi in Suecia Februario mense a. 1660 extincti. b. m. i r. (k. n. 14)

30. gg) Epitaphium Regni Daniae agonizantis, eiusque inopinata convalescentia et generosa resurrectio ex tumulo. b. m. 1660. (k. n. l. 4)

Rapp Christoph 31 hh) Homo politicus auctore Pacifico a Lapide. Cosmopoli 1664. (str. 30)

32 ii) Stetget Harip. Conjectio de futuro Romanorum rege promovendo in imperatorem. b. m. 1658. (str. 22)

Frischmann Johann 33 kk) Collegium reliquorum Imp. deputatorum ad Collegium electorale de praesenti statu Imp., imperatore eligendo, scribenda lege, annexis aliis. b. m. 1657. (str. 97)

34 ll) Responsio ad duo scripta Danica, quorum alterum sub

titulo Juris fecialis armatae Daniae, alterum sub nomine Manifesti exiit. Francofurti 1658. (str. 39)

35 *mm)* Epistola equitis Romani de eligendo rege Romanorum b. m. 1658. (str. 16)

36 *nn)* Brevis informatio et demonstratio, quam injuriosis et calumniosis persuasionibus feliciss. record. Imp. quondam Ferdinandum III. ejusq. filium Ser. Hung. et Boh. Reg. Leopoldum ablegatus Reg. Suec. coram electoribus et statibus imperii emisso in publ. libello accusatorio ruptae pacis insimulare conatus fuerit. b. m. 1658. (k. n. l. 15)

37 *oo)* Scher Mart. Vota Germaniae intranti Austriam oblata Leopoldo. b. m. i r. (k. n. l. 4)

38 *pp)* Biörenklou Math. Memoriale novum in puncto pacis et securitatis publ. quod nomine S. R. M. Sueciae d. 4 Maii a. 1658 exhibitum est S. Rom. Imp. collegio electorali. Francofurti 1658. (str. 7)

39. *rr)* Delirus prodromus in viam reductus. b. m. i r. (str. 6)

Frischmann Johann 40 *ss)* Delirus prodromus. b. m. 1658. (str. 14)

Schultz Peter 41 *tt)* Negeschius Petr. Comparatio inter Claudium Tiberium princ. et Olivarium Cromwellium protectorem. b. m. 1657. (str. 28)

Frischmann Johann 42 *uu)* Classicum belli christiani ad christiani principes omnis adversus christiani nominis hostes Ottomanidas. b. m. 1611. (str. 37)

43, *vv)* Disjectio rejecta sive iterata et constans querelarum Gallicarum discussio. b. m. i r. (str. 22)

Frischmann Johann 44, *yy)* Responsum ad nuperam illam admonitionem Gallico juxta ac Germanico stilo adversus sanctius Christianiss. regis consilium publicatam ex causa Mardici Anglis belli contra regem catholicum sociis cessi. b. m. 1658. (str. 32) sk. 5. –

Exp. dobrze zachowany tego zbioru pism ulotnych do panowania Jana Kazimierza odnoszących się. Oprawa z wyciskami i klamrami.

1773. Pękalski Petr. De Petri militis per S. Stanislaum epi. Crac. resuscitatione. Cracoviae 1826. 8vo (k. n. 2, str. 23) br. —

1774. Peterek Jan. Wykład systematyczny zarazy bydlęcéj, prz. J. N. Kurowski. Warszawa 1833. 8vo (str. 108, tabl. br. —

1775. Petricius Joan. Innoc. Historia rerum in Polonia gestarum anno 1620. Cracoviae b. r. 4to (k. n. 3, str. 77)
b) Princeps Polonus. Cracoviae 1633. (str. 109) psk. 10. –

1776. — Palaestra oratoria sive Imitatio Ciceronis. Cracoviae 162 4to (k. n. 50) br. 3. –

1777. Piasecki Fel. Wróżka, dramat. Kraków 1861. 8vo (str. 3 br. —

1778. — Jac. Mythologia Aeneidum P. Virgilii Maronis. Cracovia 1635. 4to (k. n. 8) br. — 5

1754. Paradoxa koronne publica i privatim potrzebne szlachcicowi polskiemu, napisane r. 1603. Kraków 1853. 8vo (str. XXI k. n. 1, str. 152, k. n. 2) br. — 25

1755. Paritius Christ. Frid. Commentatio brevis ex historia literaria de quibusdam Silesiis eruditis in Polonia muneribus functis. Cracoviae 1816. 4to (str. 24) br. — 40

1756. Parkossius Jac. Antiquissimus de orthographia polonica libellus. Posnaniae 1830. 12mo (str. 99) br. — 50

1757. Parthenay v. A. Geschichte von Pohlen unter der Regierung August II. Mietau 1772. 8vo 2 Ty (I. str. XIV i 508; II. str. 640) p. 2. —

1758. — Histoire de Pologne sous le regne d'Auguste II. La Haye 1733. 8vo 2 Ty (I. str. XXIV i 256; II. str. X i 256) 2. —

1759. Paschacy Andr. Sig. Plausus laetitiae publicae ad triumphalem post victorias reditum serenis. ac invictis. princ. Joannis III. reg. Polon. etc. expressus. Cracoviae 1683. fol. (k. n. 14) br. — 50

1760. Pasternak K. F. Wielki świat małego miasteczka. Wilno 1832. 8vo T. II. (str. 214) br. — 25

1761. Pastorius Joach. Bellum scythico cosacicum etc. Dantisci 1652. 4to (k. n. 8, str. 269, k. n. 1) p. 7. —

1762. — Florus Polonicus, seu Polonicae Historiae epitome nova. Lugd. Batavor. 1641. 16mo (str. 215, k. n. 16) br. 1. —
Brak tytułu, dedykacyi i przedmowy kart 7.

1763. — dtto. Gedani et Francoforti 1679. 16mo (k. n. 22, str. 851, k. n. 20) psk. 2. —

1764. Paszkowski Franc. Mowa miana przy założeniu podstawy mogiły na pomnik Tadeuszowi Kościuszce 1820 r. Kraków b. r. 8vo (str. 12) br. — 25

1765. Paterkula K. Welleja Historia. Warszawa 1830. 8vo (k. n. 1, str. 276) psk. — 50

1766. Pauli Żeg. Pamiętniki do życia i sprawy Samuela i Krzysztofa Zborowskich. Lwów 1846. 8vo (str. XI i 215) br. 1. —

1767. — Pamiętniki o wyprawie chocimskiéj, z rękopismów i druków mniéj znanych. Kraków 1853. 8vo (str. XI i 184, k. n. 1) br. 1. —

1772. Pax Polono-Svecica, per deputatos ad id sereniss. ac p[ten-]
1 tiss. princip. Poloniae, Sveciae Regum legatos con[ecta]
Olivae 1660. 4to (str. 22)
2. b) Pax Germano-Svecica etc. Viennae 1648. (str. 84)
3. c) Wolphius Joh. Pannonia perrorata panegyrice. [b.] m.
1652. (k. n. l. 10)
4. d) Rewa de Petr. De sacra corona Regni Hunga[ri]ae.
Viennae 1652. (str. 96)
5. e) Copia literarum cujusdem magnae dignationis Poloni [D]n.
Przimsky ad fratrem suum Dn. Christ. Przimsky Cas[te]ll.
Culm., in quibus amore patriae suae ductus explicat, [q]uid
sentiat de tractatu Polonorum cum Austriacis. Cus[tr]ini
1657. (str. 11)
6. f) Biörenklou Mat. Memoriale iteratum in puncto paci[s] et
securitatis publicae. Francofurti 1658. (str. 12)
7 g) Statera veritatis ad quam responsum Gallicum. b. [m]m.
1658. (str. 27)
Frischmañ 8 Johañ h) Statera veritatem transgressa subversa. b. m. 16[5]8.
(str. 19)
9 i) Circa pacem religiosam ficta veraque propositio in Ep[is]t.
ad D. Baronem. b. m. 1661. (k. n. l. 10)
10 k) Querelae universi cleri in Majori Polonia et Dioec. P[o]-
snan. super barbara Austriaci militis insolentia, in O[r]d.
Eccl. et Christ. patrimonium exercita. Posnaniae 16[5]8.
(str. 4)
11 l) Olszowski Andr. Expositiones coram eminentis. D. Ele[c]t.
Moguntin. b. m. 1658. (k. n. l. 2)
12 m) Olszowski Andr. Memoriale nomine S. R. M. Poloni[a]e
et Suec. ad S. E. Illustr. S. R. Imp. Electores, Princip[e]s
et Ordines. b. m. 1658. (str. 4)
Frischmañ 13 Johann. n) Moguntini labores electorales, praevii et electorii. [b.]
m. 1657. (str. 45)
14. o) Grandmont Ant. et H. de Lionne Memorialia bina, pr[i]-
mum ad deputationem statuum ord., posterius ad collegiu[m]
elect. directa. Francofurti 1658. (str. 15)
15 p) Disjectio brevis illius Gallicarum querelarum discussio[-]
nis. b. m. 1658. (str. 16)
16. q) Pacificatio Ratisbonensis inter S. C. Maj. et Rege[m]
Franciae. b. m. i r. (k. n. l. 8)

niss. ac poen-
gatos con cta

(str. 84)
gyrice. b m.

i Hungarae.

is Poloni n.
usky Cas ll.
explicat, qid
cis. Cust ni

ncto pacis et
)
licum. b. n.

o. m. 165.

io in Epi.

Dioec. P-
tia, in O.
uiae 165.

is. D. Elec

M. Polonia
, Principe

electorii. b

bina, pri
d collegium

discussio-

et Regem

STATERA VERITATIS

Ad quam

RESPONSVM GALLICVM

Et

SANCTIUS CHRISTIANISSIMI REGIS CONSILIUM

De

Mardico Anglis contra Regem Catholicum cesso, & Fœderibus Christianissimo-Acatholicis expenditur.

MANE, THECEL, PHARES.

Appensus es in statera, & inventus es minus habens. Daniel. 5. v. 27.

M. DC. LVIII.

Cum Ver floreret: sed sine Rosis ac Liliis,
Non tamen sine Corona Imperiali.





PROLOQVIVM AD SCRIPTI AVTOREM
De persona Scriptoris iniqui.

Tu quis es?


Allus, an Germanus? an uterque? an neuter?
Qui venalem circumfers calamum & animum?
Nunc amicus, nunc hostis auro comparabilis?
Age quis? Hybris, an Ibis?
Cur in tenebris Andabatarum more pugnas?
Bona causa, & veritas non fugit lucem,
Vespertiliones & noctuæ, & fures latitant.
Quæris cur & ego? persequor in tenebris scelus;
sed cum face: patebit denique.
Tu quis igitur? Nunquid tua te loquela manifestat?
Germanus tamen non es, nisi sine candore.
Gallus non es, nisi sine pudore.
Gallo-Germanus forsitan, monstrum novum,
Mercuriana, sed aurea tactus virgula,
Empti promus eloquii,
Dignus qui Midæ abacum impleas
Malæ causæ, patronus pessimus,
Paulo tamen dignus Charontico,
Qui tuo hoc consilio tot inferno animas inseris.
Nunc causam auscultemus,
Nucleum eruam, putamina relinquam.
Tu strophas composuisti, ego texam antistrophas,
Tu ex favore & odio odas,
Ego Epodon ex veritate canam.

§. 1. *De causa scripti.*

Consilium tibi.
Gallis assentandi studio, magno adversus Hispanum odio,
Veram opprimere causam, tuam exprimere invidiam.
In fœdere Gallo-Anglico, in tradito Anglis Mardico
Coram integerrimo orbis Christiani judicio.
Bene est,
Audit, legit, miratur, stupet orbis,
Cognoscit, judicat, vindicat.
Malum consilium consultori pessimum.
Tuo sorex indicio proderis,
Tuis verbis, ceu gladio, jugulabere.

§. 2.

Cur Rex Catholicus in Anglico fœdere non perstiterit, Gallus successerit?

Catholicus Rex novatum Angliæ statum
Ad suæ defensionis contra Gallum momenta,
Primum conatus vertere, noluit Religionem evertere.
Tentavit, an illa salva posset; non potuit, cessit.
Primum factum nullius est sceleris, alterum etiam virtutis.
De regione maluit, quàm religione periclitari.
Mirumne quod cesserit; licitatore Gallo pretiosiori?
Qui hoc offerret, quod Hispanus negaret, Anglus peteret?
De animo utriusque dubitas? de pacto? de pretio?
Nisi cœcus es, eventus ostendit.
Prodita & vendita cum locis religio,
Licet extra pactum, in facto eminet.
Et frons tibi aut calamus est tam impudens
Qui hoc inficiatur nec pudore inficitur?
De Caleto & Rupella Anglis tradenda,
Ventus est & Gallicinium.
Pallium patrato propalam obtensum facinori,
Fabula Britannica, quâ Gallum emungerent.
Temeritas qualem Hispania nondum cogitare ausa.
Historia ab hoste in hostem composita,

Fide Gallica.
Quis autor? Gallus. quis testis? idem.
Quis suffragator? Britannus.
Et quid ni tale quippiam ausint fingere, quale nunc facere?
O Belgium, ô Hollandia, vultis secretum edisseram?
Cum laude utriusque & Galli & Britanni dicam.
Uterque pius est, suam apud vos religionem propagatam optat.
Galli vadum in Hollandiam, Britanni in Belgium se exporrigit.
In hoc quoq; consentiunt, quod uterq; cupiat quam plurimum.
Ille quia paruo satiari, hic quia exiguo defendi nequit.
Aut multum illi obtinendum est, aut brevi rursum nihil.
Quantum creditis terrarum ex Belgio Anglis promissum?
Qui Caletum, qui Rupellam, quique Dunckercam quoque
Adnexasque hisce regiones, Britannis dicentibus,
Credentibus Gallis, habuerit in promissis, quid non sperent?
Si vicit Gallus Hispanum, ut Britannum traheret,
Quid non dederit?
Si victus Britannus, ut Hispano datam fidem falleret,
Quid non acceperit?
Nil mirum, si Galli tam liberales Belgici Leonis exuvias
partiti sint. De alieno ludunt corio.
O Belgi & Hollandi, si sapitis, jam vestra res agitur,
Seu vester, seu proximi ardeat paries, tantundem est.
Ut ventus, sic vertetur hoc incendium.
Hodie unius, cras alterius exitium est,
Apage spectator: hic utrisque aut agendum, aut pereundum est.

§. 3.

De Cardinale Galliæ moderatore, quid agat.
Laudat Christianissimi Regis parum Christianum facinus
Cardinalis purpuram Christianorum
Sanguine bis & sæpius tinctam,
Qui aliorum tot insontium in bello nece suam alit vitam,
aliorum oppressione erigitur,
Inopia ditescit,

bello quietus est,
Rex Galliarum, sed absque nomine
Cardinalis qui militem conscribit,
Et religionem proscribit.
Qui politica Ecclesiasticis, divina humanis confundit,
pro pedo curat gladium.
Angliam Belgio commiscet,
Galliam transfert in Italiam, Italiam in Galliam.
Partitur inter suos honores, inter alios ignominiam.
Si digna ejus capiti factisque corona danda sit,
In claustro sub cucullo debetur.
Optabit sero ipse, cum non debebitur.
Felicem ego illi mortem, Europæ pacem precor,
Vtrumque sociabitur. Mortuus proderit.

§. 4.

An Galli religionem evertant Catholicam?

Negat Romanam ab Anglis religionem in Belgio opprimi.
Vlulas ululare, noctuam noctem amare negat.
Ab Hispanis Romam captam direptamque oggerit,
Factum id quidem sub Carolo; sed factum à Gallo,
Vt constet Hispanos nisi per Gallos
Religionem non profligasse.
Sed quæ causa? an horum crimine, suo dolore Carolus imperans?
Is, qui supplicationes ad rebellem militem frangendum indixit?
An inducta & radicata per possessionem hæresis?
Mirum non est tam frigidis fictisque exemplis ludere,
Vbi calentia veraque deficiunt.
Sic suam probare causam, est manifestè destruere.
Quærendum erat:
Quid tamdiu pugnans, armaque & militem socians
Sub Hollandorum signis, & Gallicis stipendiis,
In Belgio patrarit Gallus?
Quid nuper Suecis junctus, & Saxonibus olim in Germania?
Quot Episcopatus, Abbatias, Ecclesias junxerit hostibus,

Reli-

Religione, ut verè asserit, nunquam spectata:
Vt res docet, semper eversa?
Non refert, *ait*, fœderati cujus sint religionis.
Nihilne refert?
Ergo cum Lupo socientur agni, cum Gallis vulpes,
Nihilne refert? per Dæmonem auxilium habeas, an Angelum?
Cum Turca fœdera amicitiamque colas an Christiano?
Causam exspecto.
Quia fœdera sunt pacta hominum erga homines,
Sunt belli, regionis, non religionis conventa.
Demus omnia, & hæc fœdera toleremus.
At religionem verbis separare, re semper involvere,
Iactatione tueri, armis obruere,
Hoc Gallicum quidem in alienis regnis quærendis
Iam à Carolo Quinto usque, sed minimè Christianum est.
Germania inferior & superior testis amplissima.
In qua, sine Gallorum ære & armis,
nulla staret hæresis.
Antiqua vigeret Germanorum concordia.
His Gallicinium ab austro exauditum
Semper infausti ominis fuit,
Discordiæ certum augurium.

§. 5.

Quo fine & qua fide Gallus fœdera ineat.
Nunquam Gallus Germaniæ nisi ad seditiones adfuit,
Nunquam prodesse visus nisi ut perderet.
Corvi instar, ova sua in alieno ponit nido.
Vt fotus exclususque suos denique nutritores devoret.
Experti Germani sunt qualem hactenus invitaverint,
Qui nunquam nisi bona Imperij parte dotatus rediit,
Prima dos fuerunt Metæ, Tullum, Virdunum;
Altera nuper Alsatia. Lotharingia illi auctarium est.
Burgundia honorarium, Flandria spolium.
Tanto pretio Germanis Galli cucuriunt.

Hæc

Hac ſpe & re cum Germanis, Suecis, Anglis, Batavis
Tam ſancta coluntur fœdera, & in fœderibus fides,
In his negotiis dexteritatem,
In his conſiliis prudentiam,
In his fœderibus ſagacitatem,
In his pactis demonſtrat fidem,
Tamdiu firmam, quamdiu utilem ſibi.
Ad legem hanc metiuntur Salicam,
Quâ omnia aliena licet regna accipere,
Nihil de ſuo dare.
Tanta denique ſanctitate fidem colunt & fœdera,
Vt proverbium ſit, fides Gallica.

§. 6.

Quantum Gallia à priſtino honore deflexerit, in fœderibus & amicitia, qua nunc hoſtes omnes Eccleſiæ amplectitur.

Magnum olim Francorum Decus, cum pro Eccleſia;
Magnum nunc dedecus, cum contra illam arma induunt,
Olim Longobardos in Italia, Saxones in Gallia,
Vtroſque Eccleſiæ hoſtes, hoſtes habuit Carolus.
Nunc quotquot in Eccleſiam inſurgunt inimici
Subitò amici Gallorum ſunt.
Olim legitimi Domini contra perduelles ſubditos,
Nunc perduelles ſubditi contra legitimos Dominos,
Opibus nituntur Galliæ.
Vix ante ſæculum Saxones, Haſſi, Thuringii
In Romanam ſurrexere Eccleſiam, & Francus jungitur.
Vix Helueti, & Gallus Patronus eſt.
Vix Batavi, & Gallus amicus eſt.
Nova inter illos cuduntur fœdera, fides fovetur nova.
Nunquam intentione Galli, ut aſſerit: nunquam non re.
Et ne non ſacra violentur omnia:
Sacri plerumque homines hujuſmodi cudunt fœdera,
Et hæc denique Gallis politia eſt.
O Regum priſcorum ſanctitas,

quo defluxisti ?
O Honor & Gloria Galliæ
ut evanuisti !
Olim contra Turcam sub Boulioniis & Ludovicis
Signa ibant Gallica,
Conversa res est. Signa Turcica sub Francisco incipiunt
Ire pro Gallia.
Magna dexteritas ex hostibus ita facere hospites.
Barbarossa Turca imperante, Gallis Legatis ductoribus
Italia vastatur, Sicilia diripitur, spoliatur Hispania.
Oppugnantur Catholicorum urbes, vincla plurimi
Et servitutem coguntur subire Turcicam,
Hæc Gallica pietas, hoc Regum decus.
His gradibus ad præsentia ventum est decora,
Cromvellus Anglus omni Turca peior,
Omnium homo religionum, & nullius,
Verbo, INDEPENDENS, ab ipso si posset Deo.
Regis GALLO consanguinei interfector, liberorum illius
Ex Gallico natorum sanguine persecutor efferus.
Vt primum Hispani religionem aversari cœpit,
Et Catholicum sitire sanguinem.
Artes omnes ad Romanam Ecclesiam evertendam vertere,
Gallo tum maxime idoneus amicus fuit.
Non quod in illo religionis, sed quod Hispani amplecteretur
odium; illud propter hoc, cogeretur alere.
Offerre extra regnum quoque Catholicorum Provinciam,
Vt si intra, illius Catholici furori, non sufficerent.
Peior Turca Cromvellus, ille quos patitur, hic pati facit.
Ita Galli proficiunt in amicitia, & fœdere, & fide,
Vt nullus, præter Dæmonem, his restet fœderandus
hostis Ecclesiæ,
Cujus tamen illud fœdus generis sit nescio,
Certè nec à Dæmone tantum metuendum sit,
Quando nec ipsis Catholicis ab Anglo profugis,

Illis quidem jure sanguinis, his fidei,
Tutis subsistere in Gallia licuit.
In illo istic Cardine res & fides politica
In eodem res versatur & fides Catholica,
O virtus Cardinalis IVSTITIÆ!
O Cardinalis prudentia!
Nimirum hæc, ut ait, benè, sapienter, tempestivè
Solo Galliæ emolumento, Hispaniæ detrimento,
Cum Tunica pallio propior sit.
Hæc nimirum regula est
Ad quam mensuranda est fides debita proximo, & Deo,
Et caritas utriusque, sed à carne derivata.

§. 7.

Gallorum hoc tempore fœdera cum Anglis aliisque injusta esse, ratione certa evincitur.

Ratione exemplisque Austriacorum se Galli tuentur,
In contractis fœderibus, & data fide; sed mala fide.
Amicitia, *ajunt*, contractus & fœdera, etiam cum impiis sunt,
Naturæ jure, juris usu; religionem nesciunt.
Ita Abrahamus pius impiis, Ionathas Alexandro & Demetrio,
Reges Hispaniæ olim Mauris, Rudolphus Habsburgicus Tartaris,
Rex Hungariæ nunc Dano & Moscho. &c.
Audio, admitto, non improbo,
Sed cum suadet necessitas,
Cum præsens non innectitur religionis periculum.
Homines fœdere, amicitia, opibus rectè accedimus,
Cum à Deo non recedimus.
Vigeat politica, dummodo stet Dei Ecclesia.
Dum hæc obijcitur incertæ aleæ, illa vetita est.
Vultis funditus eruam
Causam, & fœdera Gallorum cum Austriacis composita?
Euge acue aures, Galle, utraque tinnient.
Gallus jam à sæculo cum Hollandis, Anglis,
Germanis, Helvetis, Suecis miscuit fœdera.

Cum-

Cumque his tum plerumque primùm, ac semper arctissimè,
Vt primùm à Romana sunt divulsi Ecclesia,
Contra illam & Austriacos arma rapiunt.
Non probat perfidiam in Deum, sed odium in Austriacos.
Quod desertam illorum fidem Gallus non amarit, sat costat;
Quia in Romana fide diversus subsistit,
Et quos extra regnum favore,
intra regnum prosecutus est flamma & gladio.
Quid? quod sæpè professus, Dominum se Germaniæ, aut Belgii,
Facturum extra regnum, quod intra fecerat.
Mira res, fidem eandem (an perfidiam?
In subditis plectit, in extraneis prosequitur.
Vt perditionem quam in hoste præmio;
in subdito pœna mactamus.
Quæ causa?
Vti proditio medium est, quo hostem nostrum opprimimus,
(ideoque apud illum fovemus, quod domi plectimus)
Sic fides Ecclesiæ & Deo prodita promptum est medium.
Vt Gallus ejusdem Ecclesiæ hac ætate propugnatores Austriacos,
Iuratos sibi hostes, cum alia via nequeat, hac petat,
Proditionem itaque eandem, & aversatur, & ambit,
Aversatur, ut quam credit in se malam, ambit vt utilem sibi.
Medium esse sibi vult, quo hostem premat;
Malum ex natura medium, at politicæ rei per accidens bonum,
En fundamentum politicum;
Sed Machiavellicum, sed Acatholicum, sed noxium;
Non licet eligere in se malum, ut eveniat bonum.
Tolerare malum possumus, non fovere.
Medium potest esse patiendi, non agendi.
Non staret hæc Ecclesiæ proditio nisi Gallici fœderis ope.
Gallorum viribus firma & pertinax,
Accepit, & reddidit securitatem.
Gallis non proderant nisi ab Austriacis deficerent:
Ab Austriacis non poterant, nisi simul ab Ecclesia.

Hollandia illustre documentum, quam amittere demum
Hispanus coactus est; ne amitteret simul Belgium.
Et dum alicubi tueretur Ecclesiam, ubique perderet.
Tantum Galliæ in Belgio confœderatio, tantum in Germania potuit.
Olim hanc ad pacem Passavicam, nuper ad Monasteriensem,
tot Episcopatibus traditis, compulit.
Cessit his coacta denique, ne excederet omnibus.
Cum hinc Suecus, inde Gallus Catholicorum Ecclesias dividerent.
Neque hic satiari etiamnum posset, cum is plenus cederet.
Tantum quis unius credat esse Galli stomachum!
Verum nodus hic occurrit alter, quem si concoquat,
Duri admodum stomachum Struthionis habet.
Expendamus,
Neminem damnemus temerè,
Suum Gallo favemus nidum, suum & Aquilæ.

§. 8.

Alia ratio, cur iniqua sit confœderatio Christianissimo-Acatholica.

Ambigua quibusdam Res, sed ignorantibus est:
Passione fœderatus Gallus tolerare Acatholicorum perfidiam;
Quam non fœderatus posset tollere,
Certè imminuere, ac debiliorem reddere?
Audiamus hic Gallo-Germanum Hybridem:
Loquatur, enodet, explicet,
Aliud exemplum daturus sum, fortasse in hoc intelliget.
Fuit (Historiam narro quæ fieri potuit)
Iuvenis non ignobilis, nobili matre genitus.
Hæc patre absente alium amatorem, sortita est hospitem,
Divitem, largum, profusum in ipsum Iuvenem,
Defensor etiam contra hostem æmulum,
ne obstaret filius amoribus.
Mater aversata est amatorem pessimum, passus juvenis;
Quod & lucrum faceret, & æmulo malefaceret.
Sola illa excutere non potuit, filius resistere voluit.

Quæritur; an hic filius, flagitium non repellendo admiserit?
Germanus, Hispanus, Gallus, Italus in hac causa fuit arbiter.
Quam dixisse sententiam autumas?
Dicam.
Gallus negabat hoc in juvene flagitium esse, asserebant reliqui.
Cui, mi Lector accessurus es?
Nisi insanus fueris, damnabis contra Gallum juvenem sceleris.
Rem habemus simillimam.
Romana Ecclesia violentum corruptorem patitur,
Agnoscit Gallus hujus Ecclesiæ filius, sed dissimulat:
Suis etiam in fœderibus, & politica in fide patitur,
Quia, & lucrum regni adfert, & premit æmulum.
Rectene, quid hic dicis? par causa est. Dixisti:
Parem hic exigo sententiam.
Omnes Gallum damnabunt: ipse semetipsum, si sapiet.
At non teneor ait, impedire; alienum flagitium est.
Teneris, ut Matri liberandæ à corruptore, filius.
Teneris, si non ad aliud, certè subtrahere præsidium.
Tua in amicitia fotus peccat, non peccaturus si negaveris.
Qui hanc perfidiam in Deum patitur, dum sic potest tollere, perfidiosus est.
Matrem non amat Ecclesiam, qui sic negligit.
Prostitutionem non impedit, ut lucrum ipse habeat;
Proximo subtrahat.
O Reges, ô Principes, ô Ministri, ô Legati, ô Asseclæ, ô Milites.
O quotquot hanc causam fovetis, quanto hoc scelere!
Quæ vos Ecclesia absolvet quam sic involvitis?
Quam malè vobiscum artem, si ob salutem Galli politicam
Vestræ sic animæ salutem prodigitis?
Si æquus sum monitor, gradum reducite;
Si iniquus, Dei, aut rationis lege convincite,
Errare malo, ne vos aberretis.
Alia judicia Dei, alia hominum,
Tutiora eligenda suaderem.
Nondum ceditis? gravioribus machinis impellam.

Vtcunque res verſetur; cauſa Gallus concidet.

§. 9.

Tertia ratio idem ſtabiliens.

Periculum peccati, ſalutis periculum eſt.
Qui amat periculum, peribit in illo.
Negabis Gallum in his fœderibus peccandi ſe obijcere periculo?
Non negabis, vbi videris.
Qui ſciens prudens Eccleſiam aliquam in periculum fidei conjicit,
Is ſe peccandi quoque periculo obijcit.
At feciſſe illud Gallos hactenus, & hodiedum facere,
Omnium fœderum, omnium bellorum teſtantur exitus;
Ipſa libertatis in Germania & Belgio Gallis
Propugnatæ & proclamatæ docet profeſſio.
Quæ enim uſpiam alia quæſita Germanis libertas eſt,
An hi minus, quàm Galli liberi ſunt?
An magis cuiquam ſerviliter ſerviunt?
Si cum Germanis componantur antiquitus, & recens, Galli
Hi ſemper ſervi, illi liberi ſunt.
Quis igitur Gallo credat libertatem Germanis venditanti,
Niſi illam quæ religionis & ut volunt conſcientiarum eſt?
Res manifeſta, intentio palliata, exitus ubique cognitus,
Semper religioni Romanæ detractum eſſe
Gallicis fœderibus, pactis, ære, bellis, pacificationibus,
Quotquot à ſæculo contra domum fuere Auſtriacam.
Et homo ſit, cui vel mica ſit cerebri, aut rationis uncia,
Qui neget illis ipſis periculum conciliari Eccleſiæ?
Si nihil niſi Belgii litora, niſi Dunckerca uncia
Hominis athei Cromvelli inferatur manibus,
Fœdere jam paſſim famoſo, quis illud inficiabitur?
An Cromvellus illic patiatur Catholicos, ubi timet maxime,
Qui etiam, ubi non timet, Eccleſiâ, opibus, vita exturbat?
Pluſquam Gallica confidentia eſt præditus,
Qui nullum hic fidei periculum metuat.
At defendent Galli, & protegent.

Ita vero, vt nunc faciunt, profugis à Cromvelli tyrannide,
ad se in Galliam, Catholicis etiam pueris.
Vt in Anglia postquam patroni illuc penetrarunt Galli,
Tum enim ad vincula & carceres passim abripi,
Exulare passim, passim exhauriri funditus,
Et ne causæ deessent fictis onerari proditionibus,
Hæc cum tota sciat Europa, protectrix nescit Gallia.
At Gallis decretum est,
Postquam cum Belgis debellatum ejusdem Angli opera,
Batavos pristini fœderis desertores aggredi,
Atque illic instaurare, quidquid in Belgio Anglis cessum est.
Nimirum vt jam diu destinarunt victores in Germania,
Illic reparare zelo Gallico, quidquid deperierat.
Gallum imperio idoneum Regem facere,
Gallo imperium,
Principes hactenus armis fotos, revocare ad fidei obsequium,
Instaurare cladem datam multiplici fænore.
Efficaciora fuere Sueci & Protestantium proposita.
Qui fœdere Gallico suam propagare fidem decreverant.
Galli propositis illudere & maturè præstruere.
Semper adhuc Gallus visus est Leonibus minor cedere,
Frustra hos vocabit ad obsequium.
Semper ita etiam suis usus Gallus victoriis est,
Vt simul religio victa succumberet.
Nullum amplius in orbe vocari periculum poterit,
Si his nullum religio habeat in pactis & præliis,
Vbi quoque in ipsis victoriis prostrata est.
O Miles Catholice, hic tu militas, & arma induis,
Vbi tam præsens & fidei & salutis tuæ periculum est?
O Legate, hæc tu fœdera nectis, in quibus tanta fæditas!
O Germani Principes his vos adsistitis,
ad tam extrema vos salutis pericula rapientibus?
Non licet probis, non licet, nulla hic securitas est.
Repeto, non ego sed Sapiens,

Qui amat periculum, peribit in illo. *Eccli.*

Qui particeps est sceleris, hic scelus patrat.
Nondum creditis, tam certa probanti,
Et, quod doleo, exprobanti Christianissimo.
Quem penè solum sola innoxium facit ignorantia,
Felix, si nunquam plus sapiat.
At non creditis? extollet veritas vocem amplius.
Erubescere non potest, nec timere quempiam,
Pro Ecclesia, pro Deo, pro salute omnium
Erit adhuc disertior.

§. 10.

Quarta ratio idem confirmans.

Quocunque intentione sua Gallus denique collimaverit,
Fœdera ipsius, pacta, bella, victoriæ, spolia
Cum Acatholicis, Turcis, Atheis contra Catholicos,
Post tot infelices Ecclesiæ oppressiones, plena sunt scandalo.
Nemo bonæ mentis homo probat aut factum, aut hominem,
Contra suam religionem & Ecclesiam ita bellantem.
Ipsi Acatholici quibus hæc beneficia impendit, ut prosit sibi,
Tantam in una gente eminendi cupiditatem improbant.
Suæ gentis & fidei hominem id agentem exscinderent,
Sua enim de veritate sententia, metiuntur hoc facinus.
Adversus Deum & conscientiam sanam est.
Quæ causa? Austriacæ felicitatis invidentia.
Quibus regna & provincias tot non favent,
Quot Deus, quot fortuna, quot felices nuptiæ,
Quot ipsa denique virtus Austriacorum obtulit.
Belgium olim Maximiliano dotale, Carolo hæreditarium
Integri jam sæculi bello impetunt.
Fanda infanda sollicitant fœdera,
Hodie victi, cras rursum victores,
Perpetuo fortunæ circulo.
Æterno multorum Christianorum excidio.
Catholico sangine purpurati aulici,

Acatho-

Acatholico semper fœdere maculati,
Vbique pacem crepantes, nusquam creantes,
Illam in lingua, gladium in manu offerunt.
Quanto Christianorum dedecore, ita suo generi infesto,
Quanto Turcarum emolumento nostris dissidiis crescentium,
Carpentium undique, nostris in vos armis pugnantium:
Et hæc quisquam Gallis maximè actoribus
Tot jam annis implacabili in Hispanum odio
Nullo toties attentato pacis remedio sanabili,
Hæc, inquam, sine scandalo fieri dixerit?
Scandalum non sit homini atheo Catholicos vendere?
Nullum fœdus, nullum bellum, nisi hoste Ecclesiæ socio
Inire, continuare, absolvere?
Ecclesia gemente, Catholicis aut fidem deserentibus,
aut cum fide miserè pereuntibus?
Non quiescere, donec deferantur in Acatholicorum manibus omnia?
O tempora, ô mores!
Hæc videt ac patitur tamdiu & Deus & Ecclesia?
Ita Germani ab una sibi patiuntur gente illudi?
Vt in his vel consiliis participent, vel bellis patrocinentur.
Et Galli huc desperationis & rerum, & salutis suæ abeunt,
Vt Cromvello homini impio Catholicos possint vendere,
Huc arma & auxilium adjungere?
Non metuunt illud Dei in Achab fulmen,
Impio præbes auxilium & his qui oderunt Dominum amicitia
Iungeris, & idcirco iram Domini merebaris? *2. Par. 19.*
Non audis ipsam Galliam cum lamentis plorantem
Filii matris meæ pugnaverunt contra me? *Cant. 1.*
Non potest, quin in illius hæc caput desperatio recidat:
Perire denique debet quæ sic perire tot innoxios facit.
Quò tardior Dei vindicta, hoc gravior solet incumbere.
Totus Christianus orbis tanto hæret intentus scandalo,
Non capit illam in pace fingenda ludificationem,
In fœderibus iterum iterumque cum improbis firmandis

Vel pertinaciam, vel justè bellandi desperationem.
At Sorbona hæc indicat, & probat fœdera.
Quid inquis? probat? imò probat quisquis probus,
Quisquis veritatem vel intelligit, vel audet loqui.
Multa illos latent, quæ hic plenis haurimus oculis;
Multa tacent, quia loqui non audent, nisi quæ placent.
Quanquam tam muta non sit, quæ murmur non edat
Quod tota etiamnum Gallia excipit;
Sed sub servitute, quæ aliis libertatem proclamat,
Parata dare, quod nunquam habuit.

§. II.

Quinta denique solidissimis aliquot rationibus contra hæc fœdera, admovetur.

Iam ultimam admovebo machinam, ut suadeam veritatem,
Errorem corrigam, Galliam ad salutem erudiam.
Vel nullum in orbe nefas est, vel hæc fœdera ipsius nefaria.
Non credis? faciam ut cogaris credere.
Primum concedes mihi, homines quotquot persuasi sunt Deum esse,
Hos etiam persuasos certâ Deum religione colere:
Id si vel negligant, vel præstent indignè, reos fieri.
Id adeò verum, ut nec Romani Ethnici aliud senserint;
Piaculum duxerint, ritu non suo quodque Numen colere.
Conscientia reclamante, vindice Numine neglectum expiarint sæpius.
Angli igitur, aut Batavi Belgii possessores, suo ritu Numen colent,
Et ni fecerint, Deo, conscientiæ, hominibus se facient reos.
Faciamus errare (quod hic non judico) religione hâc suâ.
At contra conscientiam acturi sunt, si hanc, quam excolunt,
Persuasi ut veram, eandem tamen negligant.
Hoc igitur facturos nemo prudens judicaverit.
Si faciant, Catholicam fidem eversuri sunt; pugnat enim,
Hanc everti, persuasum est Gallis malum esse,
Ecclesiæ ac Deo suo invisum, gratum dæmoni.
Non probant; secuturum tamen nexu vident infallibili.
Rem itaque miram vide. Idem Galli nolunt, & volunt.

Nolunt

Nolunt Catholicam fidem destrui, quia impium:
Volunt, quia pacto anexum bello, & fœderi est.
Iam meam quam posui thesin considera.
Dixi nullum in orbe NEFAS *admitti, nisi hoc sit nefas;*
Nemo enim agens malum, ex intentione vult malum,
Omnis bonum aliquod prosequitur temporarium,
ipso etiam in malo.
Malum videre rebus (quas agis) annexum, satis ad scelus est.
Non velint Galli spoliari Ecclesias, spolientur tamen,
Non cupiant exscindi fidem, exscindatur tamen,
Introduci hæresin, introducatur tamen.
Tot iniquo in bello homines tartaro immergi, immergantur tamen,
An noluisse hæc dices, qui id voluit, unde hæc sequuntur fœdera?
Novum denique Gallorum in his bellis crimen detegam.
Quod solum illorum impietati suffecerit.
Qui impedit, ut hæresis extirpetur, ubi extirpari potest,
Positis actionibus cum extirpatione incompatibilibus,
Non potest censeri esse absque scelere.
Illud vero in Germania & Batavia à Gallis factum,
Cum fidem, fœdera, arma, pecuniam obtulere, rebellantibus,
Nulla nisi Romanæ fidei excutiendæ, occupandæ Ecclesiæ,
Catholicorum Principum evertendorum gratia,
Ipsa meridiana luce claret manifestius.
At religionem sartam Galli voluere; verterunt bellum sacrum in non sacrū
Ita excusatione nimium frigidâ factum palliant.
Mutarunt bellandi titulum, causa bellandi relicta est,
Utrumque ab Acatholicis semper spectatum & regio, & religio.
Et verò, demus gratis, tantum pro regione dimicaverint.
Hâc obtenta & defensa, tolli non potuit hæresis.
Suamet igitur confessione Gallos damno sceleris,
Posuerunt volentes scientes causam, ut tolli nequiret hæresis.
Hoc est servare, ut perdas.
Postremo alterius, præter hæc, flagitii convincam propalam.
Qui rebelles subditos contra legitimum insurgentes Dominum,

Arte, consilio, potentia adjuvat, nefas perpetrat;
An tales nulli in Batavia & Germania fuerint subditi,
An Austriacis veris Dominis nulli rebelles, orbis judicet.
Hos tamen Gallorum armis stetisse obfirmatos vidimus.
Fuit igitur & politica bellandi causa in Gallis impia.
Clarior res, quam ut plurium egeat suffragiis.
Ad orbis & historicorum omnium calculos provoco.
Si Galli in his bellis innocentes, nullum bellum est nocens.
Dixi sententiam coram mundo & Deo vindice,
Si in insontes iniquè, pœnam non deprecor:
Si in sontes æquè multorum spero emendationem & gratiam,
Ut salutem Gallis, tanquam bonus ferrem medicus,
Detegendum, atque aceto etiam diluendum vulnus fuit.
Sanati agnoscent beneficium, quod ægri respuunt.
Spero, spem bona multorum dat indoles.
Multi vellent, si possent.
Plures possent, si vellent.
Una domus Austriacæ invidiosa fortuna plurium oculos obligat,
Ut videntes non videant, & audientes surdi sint.
Quocirca detraxi veritati velum, ut omnium oculis patesceret.
Vellicavi nonnullis aurem, ut vigilantius audiant,
Miseri Galli, si unius hominis alicui oculis & auribus,
videre & audire coguntur omnia,
Surdi & cæci proprio in corpore,

§. 12.

Diluitur objectio Gallorum ab exemplo Austriacorum ducto.

Verum tamen, ne quid temere hic orbis labilis judicet,
Audiamus quem extremò clypeum pro defensione Galli rapiant.
Austriaci & Hispani, ajunt, hæc priores ausi sunt,
Arte illos ac fraude ulciscimur propria.
Dolus an virtus, quis in hoste requirat?
Carolus olim cum Henrico Anglo, repudiante licet consanguineam,
Ecclesiam manifesto deserentem schismate,

Fœdere tamen adversus Gallum sociatus est.
Et Hispanus nuper Rupellanis & Roanij Ducis asseclis
In ipso rebellionis conatu adstitit,
Submissa pecunia, classe etiam promissa.
Hæc sunt quæ inter graviora objectant Austriacis,
Et hoc quidem, non alia, quàm fide Gallica.
Illud verò etiam fide Germana.
Archivum hoc clypeum est,
Sed plane ridiculum.
An Hispanus & quivis Austriacus omnis rectæ actionis regula est?
Non omnia probamus quæ fecit Carolus, non omnia quæ Hispanus.
Veritatem, & fidem, & virtutem, non homines defendimus.
An quia Petrus Christum negavit, id cæteris Apostolis licuit?
Si Hispanus quispiam ad infernum præeat, an Gallus sequeris?
Ego neque odio, neque amore cuiuspiam inductus agitor.
Hispanum æquè damnabo ac Gallum,
Si proditoribus religionis adhæreat, ut regiones occupet.
Si nec periculum hæreseos in fœderibus caveat,
Nec scandalum in bellis devitet,
Nec hæresin non foveat,
Nec iniquæ non faveat rebellioni.
Quisquis est, qui hæc audet, seu Hispanus, seu Germanus, seu Gallus,
Seu Italus: nefarius est.
In Caroli pactis nihil horum deprehendo manifestè,
Reprehendo tamen,
Nam, ut ultimò quidem facto obstiterit, prioribus non adstiterit;
Minus quam ipse Galliarum Rex Franciscus in omnibus:
Parum tamen honestum tam inhonesto sociari homini,
Et minoris cognatæ opprobrium, quàm suum facere commodum.
Ad nuperam Philippi cum Rupellanis consensionem & opem,
Majorem requiro fidem, quàm hostilem & Gallicam.
Etenim si Hispanus Hugonottico illigari fœderi,
Si per illos evertere Gallicum lubuisset solium,
Tum potuit, cum Tota illorum armis tremuit Gallia,

Cum Philippus contra Navarræos Catholicis ex Belgio adfuit.
Ac duce Farnesio Parmensi religionem regno, Regem religioni restituit.
Si exemplo Gallorum agendum erat, fecisset contrarium.
Non lubuit: Ecclesiam & Deum, suo commodo prætulit.
Frustra igitur his sese nebulis
Occultare Gallus nititur, nunquam illæ tot facinora obtegent.
Excidissent jamdiu, vel ab Ecclesia, vel sua Galli Gallia,
Si paribus Hispanus fœderibus vindicasset fœdera,
Si Hugonottis ea se lege, quo Gallus Geusis, Anglis & Protest[illegible]ibus,
Iunxisset pactis, opibus, armis, pecunia.
Partitus cum illis Galliam, ut hi Belgium, & Germaniam.
Quid videtur, mi Galle, factum probares? Ex hoc, tuum judica.
Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

§. 13.

Gallicis hisce fœderibus neminem tuta conscientia cooperari posse, neminem his pactis & bellis obligari.

Evicimus, tenemus certò, bellum hoc Gallicum,
Fœdera, arma, in Belgium & Germaniam versa, esse impia.
Lavabit æthiopem, quisquis hic Gallum purgare conabitur,
Impietatis futurus & patronus, & particeps.
Nemo malum, ut bonum, tuetur, nisi malus.
Iam consiliarios appello, jam Legatos, jam ipsos Duces,
Iam & milites, quotquot hisce bellis dant operam,
Hisce fœderibus conflandis, alendisque invigilant,
Omnes rei injustæ sese implicant,
Seu consilio, seu auxilio.
Malo perpetrando cooperari, semper est malum.
Nemini aut Ducum, aut militum, in Bello nuper Germanico,
Nunc Belgico, tutum militare pro Gallia, nemini innoxium.
Ipsi Protestantes sanam oppugnant conscientiam.
Bellum injustum nemo justus tuebitur.
Nemo fœderatus his tenetur fœderibus, quia iniqua sunt.
Pactum improbum, non pactum, sed impietas est.
Qui hanc servat fidem, homini, Deo violat.

Sce-

Scelus non virtutem amplectitur.
Denique Reges, aut Principes, aut Dynastæ,
Quotquot aut favent, aut fovent, scelere participant.
Qui improbum tuetur, oppugnat Deum.
At multi timore parent, obtemperant dum metuunt,
Nolunt, quod agunt, optant quod non agunt.
Turpe sit Principem non Gallicum, Gallico percelli metu,
Gallicum verò dum potens sit, nunquam parere:
Dum impotens, nonnunquam parere convenit.
Dum importunitas metum auferat, securitatem adferat;
Haukincurtius nuper docuit, quid injusto in bello agendum sit,
Paruit, donec occasio non parendi denique oblata est.
Nemo nec Dux nec miles iniqui belli Sacramento stringitur.
Si in orbe & castris nequeat, locus transeundi in acie est.
Virtus est, impium bellum ubi ubi potes, deserere.
Legatorum & crimen maximum & virtus esse potest.
Soli hi omnium maximè causas bellorum penetrare queunt:
Audiuntur à partibus adversis, easdem audiunt.
Innexa ac nixa fœderibus & damna, & lucra ponderant.
Si impietatem ac hæresin trahentia pacta aut foventia,
(qualia illa esse Gallica docui)
Apud suos dissimulant Reges, scelestissimi sunt.
Reges quidem ignorantia sua innoxios peccare faciunt,
Se verò ac secum tot millia animarum orco immolant.
Fideles servi qui pro suis Dominis infernum adeunt,
Semet perdunt, ut illos metu & pœna liberent.
Si loquuntur, ut par est, & æquos viros decet,
Quales ex legatis Gallicis, qui hæc scribo, novisse me memini,
Qui gratiam Dei, gratiæ aulicorum Ministrorum præhabent,
Et malunt legationis officio defungi, quam malè fungi,
Hi virtute priscis Gallis digna inter suos eminent.
Quales si ad Suecum issent, & Anglum hactenus,
Germania minus lugeret, & Polonia,
Minus utrimque res hærerent impeditæ.

Fides locis non exularet plurimis,
Belgium sine Anglo, Silesia sine milite esset:
Armorum ipsa in pace non audiremus strepitum.
Romanorum Imperatorem jamdiu videret Germania.
Nemo pro Cromvello & Sueco Francofurti Capitulationes conderet,
Nemo proscriberet à Belgio opem Austriacam,
Et Atheum illic dominari mallet, quam Catholicum,
Hostem quam Dominum, Regicidam quam Regem.
Sed ignoscenda peccarunt, si ignorantiâ,
Plectenda gravi Dei judicio, si mali conscientia.
Non enim unius peccatum est, quod involvit plurimos.
Vt resipiscant oro, ego scribo, erit qui nolentes
Cœlo proscribat, non opto, sed obsto
Monendo, suadendo, obstando.
Vnius sæpe delicto, omnes luimus,
Vnius confessione plures absolvimur.
Fœdera iniqua Gallia corrigat, & Europa multò erit felicior.
Germani Principes videant quibus faveant, ne faveant sceleri.
Parvus principio error progessu fit maximus.
Si ex Gallico denique nutu Imperatorum electio pendeat,
Libertatem quam promittunt amisimus;
Pacem quam ostentant perdidimus.
Vt vestra fert magnanimitas,
Non patiemini hoc dedecus ire ad posteros,
Fuisse qui Gallicorum fœderum nexibus impliciti
Liberam electionem Romani Cæsaris primi in Germania amiserint.

§. 14.

Austriacos in Germania ex conscientia teneri Belgio succurrere nec ullo fœdere posse impediri.

Ad Germano Austriacam mihi domum modicus sermo est.
A Belgio per Cromvellum infesso hanc avelli est nefas,
Vetus terra Belgica dos Maximiliani est Cæsaris,
A Burgundo in Austriacam familiam transiens.
Huic debetur, in periculo extranei & athei hostis non deserenda.

Gem

Gemino obligaris ad patrocinium titulo.
Sanguinis quo hæres jungitur, religionis quo terrâ periclitatur.
Si negligis, nec Catholici, nec Successoris officio fungeris.
Vtroque titulo proximus es:
Tanto obligatior, quanto potentior.
Tu si negligas, nemo tui debet auxilium.
Nec te fœdera possunt alia tenere.
Fœdus hæreditarii juris longè antiquius est.
Nullo fœdere tuis his obnuntiasti possessionibus,
Nullo fœdere favorem tuum iniquitati pactus es.
Nullo fœdere fidei divinæ patrocinium abdixisti.
Nullo fœdere abstringi potes, ne impietatem impedias.
Naturale fœdus ab innaturali non extinguitur.
Divinum ab humano nunquam opprimitur.
Impium erit Belgis hac necessitate absistere:
Pium adsistere.
Quæ te causæ pro Polono advocarunt, pro Belgis vocant,
Si non unæ, utrobique certè similes.
Degenerabis ab æquitate & Proavis si Belgas non audias.
Vincîre te nemo fœderibus poterit.
Ad impietatem nemo adstringitur.
Non violantur fœdera, quæ justitiam violant:
qui servat, violat.

§. 15.

Consilium salubre pro Concordia Germanorum, ne Gallicis pactis sint probrosè obnoxii.

Et vos Germanos Proceres, Summos, Medios, Infimos,
Paucis interpellare fas sit.
Cur bella alii, alii pacem metuunt? utrumque vestris in manibus est.
Non cor vobis, sed deest concordia; imò cor cum illa deest.
Timetis Gallum & Suecum? timendi non sunt, sed vos vobis timendi;
Quando alius Suecicus, alius Gallicus, nemo penè Germanus est.
Corrigite errorem, estote qui estis, Germani fratres.
Hæc olim laus vestra, hac virtute Romanis stetistis metuendi.

Meministis quo vestro nuper dissipati estis damno,
Quando hi qui inde collusêre Sueco, inde Gallo temere,
Vtrimque primi fuêre qui luerent stultam amicitiam,
Vel exhausti, vel terris spoliati, ludibrium exteris,
Opprobrium Germanis, posteris, inaudito exemplo,
Germanos repertos esse, qui se in servitutem,
Provincias suas in possessionem Regibus venderent exteris;
Pacem alias armis, nunc oblata emerent patriâ.
Vnde tam turpis inter vos pactio?
An religio vos dissipat? curate fidam in politicis concordiam;
Deinde modesta, non tumultaria religionis cura subeat.
Sunt multi qui conciliationis nunc viam aperiunt pacificam.
Dum hæc scribo, ipsi video Germano-Catholici
Supplicatione publica ad verbum Dei clarum omnem avocant
De fide controversiam, res igitur propemodum confecta est.
Quid enim audiamus tutius, quàm ubi Deus disertè loquitur,
Homo sua non interloquitur?
Nunc hoc agatur, quod agitur, ut suum brevi imperio sit caput.
Ne sine sensu dormiat, quando hostes ante fores sunt,
Et adhuc deliberet, quando alij gladium in caput librant.
Sub uno se capite membra fideliter congregent,
Non oneretur aut stringatur nimium caput, ut doleat,
Capitulationes nimium multæ, nullæ sunt.
Caput liberæ Germaniæ debet esse liberum.
Sub gravato capite omnia membra malè laborant.
Quod arctè nimium premit facilè rumpitur.
Cum nervi nimium adstringuntur, torpent sine viribus,
Quod malè ligat nullum obligat.
Ius naturale & divinum, humano quovis majus est.

§. 16.

Gallis Autor prodesse voluit ad salutem.

Non ego vos scripto hoc persequor, quos amo; sed vestra, quæ odi fœdera.
Si erravi, docete errorem, revoco, detestor, aboleo.
Si errare vos docui, habete gratiam, salutem admittite.

De plaustro locutus non sum, juris divini humanique sequor regulas.
Non occulta, sed publica vestra pacta & facta argui.
Non quia vestra, sed quia iniqua,
Fortasse ignorantium, ideo docui.
Nihil credi mihi cupio, nisi quantum probavero.
Autor mei scripti, iniquus vester defensor fuit,
Non tacui, quia injuriose veritatem prodidit,
Et nudam violavit ac velavit.
Ego in lucem & judicium orbis produxi,
Vt & facinus patêret ad horrorem,
Et veritas ad honorem.

CONCLVSIO.

En, mi Lector, Stateram Veritatis
Iuxta orbis judicium (hoc scriptor imploravit) appensam,
Nihil enim nisi cognitum probatumque orbe toto
ad hanc expendi; sed obiter:
Erit fortè, cum ex juris divini humanique fontibus
Prolixius hæc licebit ponderari,
Si fuerit, qui lucem nobis oriri neget in meridie.
Veritas odium parit sed & amorem,
& illud in malis, hunc in bonis
vulnerat, sed ut sanet.
Fove, & fave;
nullius odio prodiit,
omnium meretur amorem
qua nuda & candida est
VERITAS.

FINIS.

1. Pax Pax polono-svecica Olivae d. 3 Maji 1660
2 Pax Germano-svecica Monasterii Westphalor. 24 Xbris 1648.
3 Pannonia perorata etc p Joh: Wolff 1652
4 De sacra corona regni Hungariae ortu etc Petri de Reva 1652



